





Q. D. B. V.

1730

43

DE

31

16

ORIGINE ET NATVRA
BONORVM
CENSITICORVM
EX
IVRE GERMANICO

PRAESIDE

IO. FRIDERICO WEIDLER
I. V. D. ET MATHES. P. P.
IN AVDITORIO ICTORVM
DISPVTABIT

CAROLVS HENRICVS IACOBAEER

I. V. St.

A. C. c15 15 CC XXX. VI. IDVS APRIL.

VITEMBERGAE
TYPIS GERDESIANIS.



43

ORIGINE ET NATURA
BONORVM
CENSITICORVM

EX
IVRE GERMANICO

IO. FRIDERICO WEIDLER

IN AVDITORIO ICTORVM
F. V. D. ET MATHE. P. R.

CAROLVS HENRICVS JACOBAEER

A. C. MDCCXXXVII. IDVS APRILII

WITTEBERGAE
TYPIS GREGORIANIS



VIRIS
SVMMÆ ET PLVRIMVM
REVERENDIS, MAGNI-
FICO, AMPLISSIMIS,
DOCTISSIMIS

DOMINO
IO. ANDREAE
GLEICHIO

SS. THEOLOGIAE DOCTORI, SENA-
TVS ECCLESIASTICI ASSESSORI,
AVLAE DRESDENSIS CONCIO-
NATORI SENIORI

ET
D O M I N O
M. IO. CHRISTIANO
SCHMELZERO
THEOLOGO
ECCLESIAE PIRNENSIS ARCHI-
DIACONO

*MAECENATIBVS ac PATRONIS
SVIS*

HOCCE SPECIMEN
ACADEMICVM

*IN
GRATI ANIMI TESSERAM*

CVM
VOTO PERPETVAE FELICITATIS
CONSECRAT

CAROLVS HENRICVS IACOBAEVS

D. D. B. V

DE
ORIGINE ET NATVRA
BONORVM
CENSITICORVM
EX
IVRE GERMANICO
DISSERTATIO.

CAPVT I
DE
ORIGINE BONORVM CENSITICORVM.

I



ensus appellatione ueteres Icti
descriptionem & aestimationem
personarum & bonorum, roma-
no imperio subiectorum, quae,
prisco Seruii Tullii regis, sub
ipsis fere nascentis reipublicae
primordiis, instituto, a censoribus
nonnunquam suscipiebatur, significarunt. Quemad-
modum fragmenta in titulo Digestorum de censibus,
ex antiquiorum prudentum responsis conseruata, pro-
bant. conf. LIVII *Histor.* L. I. c. 47. de huius census
utili-

A

utilitate & reuocando in usum reipublicae officio censorio late disputat Io. BODINVS *de republ. l. VI. c. 1.*

II

Praeterea eodem nomine notatur tributi genus, quod in publicum aerarium peracto censu erat inferendum. Huius aequabili ratione distribuendi cura data fuit censoribus & peraequatoribus, qui modum oneris unicuique conditionem & bona sua professo apponebant; Qua de re integer Codicis titulus de censibus & cenfitoribus & peraequatoribus & inspectoribus, (cui duo alii X. & XI. argumenti similis L. XIII. C. Theod. respondent.) exponit. Omitto significationes reliquas, quando census uel patrimonium alicuius ciuis, uel librum, in quem aestimatio referebatur, designabat, quippe quae ab argumento, cuius explicationem aggredior, longius recedere uidentur. uid. *l. 16. pr. ad SC. Trebell. l. 4. de censib. l. 4. C. de agricol. & censit.*

III

Nusquam autem in libris, qui de romanorum iure supersites sunt, census appellatio eum in finem adhibetur, ut annum reditum, alicui ex conuentione uel alio iure debitum, indicaret, quapropter hunc illius uocabuli usum sequioribus seculis, & aliquamdiu post legislationem Iustinianeam inualuisse persuasum habeo.

IIII

Tametsi enim sint nonnulli, qui similis contractus speciem, ex *l. 8. C. de rerum permutat. & praescrip. verbis* effingunt, quoniam ibi cautum est, ut, quando res alicui ea lege donantur, ut quod placuerat mensuruum

fruum seu annuum praestaret, huiusmodi conuentio non nudi pacti nomine censeatur, sed ad implendum donantis placitum actio praescriptis uerbis competat, tamen hoc negotium nec omnino cum censu postea recepto conuenit, nec peculiari nomine a ceteris contractibus distinctum, sed ad innominatorum classem relatum fuit. Siquidem huius constitutionis scopus est, ut, quando ad pactum datio rei donatae accessit, contractus innominatus do ut des, pactum donationis legitimum continens, iubeatur celebratus, ex quo actio communis praescriptis uerbis nascitur; prorsus uti *l. 1. C. de pactis conuentis* legitur: *Legem quam dixisti, cum dotem pro alumna dares, seruari oportet, nec obesse tibi debet, quod dici solet, ex pacto actionem non nasci, tunc enim hoc dicimus, cum pactum nudum est, alioquin cum pecunia datur & aliquid de reddenda ea conuenit, utilis est conditio.*

V

Quoniam uero census in primis constitui in praediis solent, necessum est, ut diuersas contractuum species, quales olim inter agrorum dominos & colonos frequentatae sunt, paulo attentius perlustremus. Scilicet coloni & agricolae romanorum non unius fuisse conditionis. Quidam liberi erant homines, qui agros, certa mercede conductos, colebant, & inquilinis, qui urbanum praedium conduxerant, opponebantur *l. 37. de acquirend. uel amit. possess. l. 30. §. 5. eod. l. 15. §. 2. sq. l. 25. §. 5. locat. conduct.* iidemque uel ad certum tempus, uel ad uitam suam in fundo morabantur, uel perpetuum ius, quod etiam ad heredes trans mittebant, sibi stipulati fuerant, *l. 10. C. de loc. cond.* Nam ea lege per-

A 2

petua

petua & temporalis conductio memoratur, & transmissio oneris contractus ad heredes, a translatione iuris colonarii separatur. add. §. *fin. l. de locat. cond. & l. 6. §. 1. eod.*

VI

Locatio & conductio agrorum, maxime incultorum perpetua emphyteusin produxit. Secundum quam praedia perpetuo quibusdam fruenda tradebantur, ut, quamdiu pensio siue reditus pro his domino praestetur, neque ipsi conductori, neque heredi eius, cuius conductor, heresue eius, id praedium uendiderit, aut donauerit, aut dotis nomine dederit, alioque quocunque modo alienauerit, auferre licitum esset. §. 3. *l. de loc. cond.* Progressu temporis emphyteusis etiam ad foecunda & culta praedia porrigebatur, utilitate ita suaudente, adeo, ut Vlpiano teste, *l. 15. §. 26. de damn. inf.* aliquando aedes redderentur uestigiales. Cumque dubitarent ueteres, utrum illa conuentio ad locationem, an ad emtionem, sit referenda, Zenonis imperator singulari constitutione, *l. 1. C. de l. emphyt.* decreuit, ius emphyteuticum neque conductionis, neque alienationis titulis adiiciendum, sed pro negotio peculiari, ab utroque contractu, quem modo memorauimus, distincto, habendum esse. Ante Zenonis aetatem simillima emphyteuseos conuentio circa agros uestigiales, nempe publicos ciuitatum & municipiorum, imita fuit, quae adeo usu inualuerat, ut praetoria quoque illius gratiae in rem actio *l. 1. si ager uestigialis*, proponatur, quoniam iure ciuili ueteri soli domino in rem actio competeabat, *l. 23. de R. V.* Generalis acceptio uocabuli uestigialis, ut omne pensionis genus denotet, uideretur comprobari

probari *l. 59. §. 2. de usufr. conf.* plura in hanc materiam exposita a CVIAC. *ad C. L. IV. T. 66. p. 233.* excerpta ex Dn. P. Burmanni *Tr. de uectigalibus populi romani* affert BEYER *Posit. ad ff. d. 1. p. 201.* Ceterum eadem rei uindicationis utilis actio occasionem dedit iuris ciuilibus interpretibus, qui medio aeuo floruerunt, ut duas quoque domini directi & utilis species assumerent, reuera legibus ignoratas, quae tamen rebus ipsis ibi traditis opportune accommodari possunt. u. FRANCISC. DVARENI *disp. anniuersar. L. I. c. 17. oper. p. 1036.* add. *§. 4. I. de actionibus.* Defensionem huius diuisionis scripsit FRANTZKIUS *de laudemis c. 14. n. 8. seq.*

VII

In Codice Iustiniano agricolae, & coloni & censiti passim quidem memorantur, & torus de iis titulus 47. L. XI. agit, uerum a colonis nostris *censualibus* illi omnes admodum differunt. Agricolae serui erant, qui dominis praediorum portionem fructuum, uel etiam pecuniam praestabant *l. 5. & 8. d. tit.* Vocatur annuus ille reditus canon *l. 18. eod.* erant adscriptitiae conditionis, quorum peculia etiam dominis competebant, *l. 21. eod.* CONNANVS in *commentariis super ius ciu. l. 2. c. 30. n. 2.* censet, hos quoque adscriptitios reuera fuisse liberos, & saltem certis conditionibus aliqua seruitutis simulacra libertinorum instar retinuisse. Ideoque eos comparat cum seruis conditionalibus, quorum mentio fit *l. 7. C. de iure fisci*, qui etsi tabulariorum munus gererent, ita tamen eidem mancipati & addicti erant, ut ad aliam dignitatem adspirare ipsis integrum non esset. add. *l. 11. C. qui potiores in pign. conf.* tamen constitutio Iustiniani, quae post nouellas *n. 28. de adscriptitiis & colonis*

legitur. Coloni uero itidem a Iustiniano laudati, parumper ab agricolis uidentur distare. Nam illi ita glebis inhaerere debebant, ut nec puncto temporis possent inde dimoueri *l. 15. C. de agricolis & censuris*. nec ad aliquos honores uel ciuitatis munera deuocabantur, *l. 1. C. de agric. & mancip. l. 23. C. de agric. & colon.* Interim non perfectam seruitutem tolerabant, uti constat ex *l. 18. d. iit. & l. 4. C. de mancip. & colon.* Meretur his iungi *l. 8. C. de excusationibus tutor.* ubi colono, administranti praedia, ad fiscum pertinentia, onus tutelae & aliorum munerum ciuiliu iniungitur, quae seruilis conditionis hominibus conferri non solebant. Nec repugnat *l. 5. §. ii. de iure immunitatis*, ubi iisdem colonis caesaris a muneribus uacatio conceditur, quippe quae secundum regulam *l. f. §. 1. ad municipalem*, SI SINE DAMNO FISCO TALIA MUNERA A COLONIS GERI QUEANT, explicanda est. Denique *coloni censui* nominabantur censibus adscripti & tributarii, qui capitum censum soluebant, praeterea annuas functiones praestabant, & praedium mutare non poterant, ideoque quadam seruitute dediti uocantur. *l. 2. C. in quib. caus. colon. censu.* add. *l. 7. C. de agric. & censu. & l. 19. & 21. eod. conf. IAC. GOTHOFREDI Comm. ad C. TH. Tom. V. p. 118.*

VIII

EX eiusdem Codicis constitutionibus cognoscitur, duplicis generis praestationes annuas ex praediis solutas fuisse. Fiscalia debita, in aerarium principis inferenda, a dominis praediorum pendebantur, nec fas erat exactoribus, colonos eo nomine pulsare, *l. 15. C. de agric. & censu.* Aliquando tamen ita conueenerat inter dominum & colonum, ut etiam hic publicas

cas sustineret functiones, *l. 20. §. 3. eod.* dabatur ab iis aurum uel frumentum *l. 2. C. de fund. patrimonial.* Fundorum patrimonialium siue dominicorum & principalium possessores plerique emphyteutae erant, quibus iterum coloni suberant, *l. 1. C. de mancip. & colon.* nam penes illos potestas fuit, colonis impertiendi aquas fontium, quantum culturis agrorum sufficere manifestum erat. Emphyteutis etiam coloni pensiones soluebant, sed tamen expelli ab iis, & alii serui proprii uel coloni surrogari non poterant, *l. 3. eod.*

VIII

Atque is quidem ruricularum apud Romanos status fuit, uariis omnino & multiplex, pro ratione conventionum initarum, quae quippe ad locationem & conductionem, emphyteusin, & seruitutem personarum, reuocari tantum non omnes possunt, neque haec praediorum censiticorum genuina ac peculiari forma sua donatorum, uestigium occurrit. Nihil addo de colonis partiariis, quippe qui societatis iure utebantur, *l. 25. §. 2. Loc. Cond.* Neque commemoro seruitutes personales, usum, usufructum, habitationem, operas, redditum, quae in inscriptione tituli 2, ff. *L. XXXIII.* coniunguntur. Nam etiam harum a censu recentiore discrimen, tum durationis tum utilitatis modo, perspicue constituitur; & de redditu speciatim extat responsum ARISTONIS *l. 2. d. 1.* quod talis in heredem non transeat, quia aut usufructui similis esset, aut huic legato in annos singulos.

X

Sequitur ut alteram iuris subsidiarii, in orbe christiano recepti, partem, nempe pontificum canones per-

peruoluamus, &, quales ibi pensionum censualium leges descriptae sint, inquiramus. In uetusto decreti opere *caus. 10. qu. 2. c. 2.* imperatorum Leonis & Anthonii Constitutio (conf. *auth. hoc ius C. de S. S. Eccles.*) de rebus ecclesiae in emphyteusin concedendis, itemque de illius iuris amissione, repetitur; *can. 3. ib. coloni & mancipia ecclesiae memorantur, & q. 3.* de cathedralica pensione agitur, de censu uero speciatim nihil praecipitur. In decretalibus epistolis non solum frequens est censuum mentio, sed etiam peculiaris de iis, & de exactionibus & procurationibus titulus habetur. Ex eodem discere licet, censum fuisse genus pensionis annuae, quae episcopis uel praelatis in subiectionis signum soluebatur. Praemisso enim Augustini monito *c. 2. d. 1.* quod tributum potestati in probationem subiectionis debeatur, deinceps *c. 6.* de moderato auxilio episcopis pro necessitatibus multis praestando, nec non *c. 7.* & sequentibus, de censibus, qui ecclesiis imponebantur, agitur. Prohibentur nempe *c. 7.* episcopi & praelati nouos ecclesiis census imponere, uel ueteres augere. Et quando ecclesia ab episcopo de manibus laicorum eripitur, permittitur illi *c. 9.* ut cathedralicum sibi ab ecclesia pendendum reseruet. Hic census cathedralicus a cathedra, quae honorem & munus episcoporum designat, nominatus perantiquus est. Siquidem in concilio Braccarense secundo, saeculo VII. habito, *can. 2.* laudatur. uid. LINCK. *ad Decretal. de censib. §. 4.* speciatim ecclesiae ad soluendum censum obstrictae censuales nominantur *c. 11. d. 1. & c. 8. X. de priuileg.* ubi ex ultimo capite cognoscitur, imprimis censum ab ecclesiis fuisse sedi apostolicae annua-

nuatim exolutum. Ita enim Alexander III. seculo XIII. in concilio Lateranensi sanxit: *recepimus literas, quas de ecclesiis censualibus direxisti, ceterum diligentiam tuam uolumus non latere, quod sicut omnes, qui specialiter B. Petri iuris existunt, annuatim apostolicae sedi censum exolunt, ita non omnes censuales ab episcoporum subiectione habentur immunes. Inspicienda sunt ergo ecclesiarum priuilegia & ipsorum tenor est diligentius attendendus, ut si fuerit deprehensum, quod ecclesia, quae censum soluit, specialiter B. Petri iuris extat, & ad indicium perceptae libertatis census annuus conferatur, non immerito poterit, speciali praerogatiua gaudere: si uero ad indicium perceptae protectionis census persoluitur, non ex hoc iuri dioecesi episcopi aliquid uidetur esse subtrahum. Ex uerbis sicut omnes, qui specialiter &c. colligo, etiam personas aliquando praelatorum immediate romano pontifici subiectas, in obsequii & immunitatis ab alia potestate signum pensionem censualem dedisse. Praecipue heic laudandum est c. 6. X. de religiof. domib. quod amplam de censibus disputandi materiem interpretibus subministrauit. Vbi Innocentius III. pontifex seculo XIII. abbati cuidam rescribit, quod nec insolitum sit, nec nouum, ut cum episcopi ecclesias concesserint pijs locis, aliquid sibi reseruent in iis nomine pensionis, & addit; nos quoque cum libertatis priuilegium, uel protectionis praesidium, aliquibus ecclesijs indulgemus, gratis accipiamus censum, gratis oblatum. Paulo ante uero narrauerat exemplum episcopi, qui uniuersas ecclesias, ad aliquod monasterium pertinentes, & in dioecesi sua sitas, & quicquid iuris tam in monasterio illo, quam in ecclesijs eius habebat, monasterio eidem in emphiteusim sub annua octo denariorum usualium pensione*

B

con-

concefferat. Quo refero etiam *c. u. X. de censib.* ubi clerici religiosi quibusdam ecclesias suas citra auctoritatem Episcopi censuales constituisse dicuntur. Vicissim mos erat, ut singuli sese ad censum aliis solvendum possent obligare. Quemadmodum rector ecclesiae aliquando monachis sacramento promisit, se censum annuum, quem praedecessor eius soluerat, datum, eaque promissio praesulis auctoritate roborata subsistebat *c. 13. X. de censib.* Et rursus in Alexandri III. epistola *c. 10. X. de iureiur.* commemoratur clericus, qui duos bisantios nomine ecclesiae se annuatim solviturum sacramento interposito firmaverat, & postquam per biennium ab huiusmodi pensionis solutione cessavit, ab illa ecclesia remotus fuit, quia solutionem iuramento promissae pensionis intermisit. Denique notanda est Decretalis Innocentii III. *c. 33. X. de decimis.* Qua iubentur decimae solvi ante tributa & censum, atque hac ratione triplex illa pensitatio, quae a multis permisceri solet, discriminatur. u. G. C. LEISERI *Ius Georg. p. 104.* Vterius moneo, non esse confundendam cum censibus *dationem ad firmam* quae aliquoties in pontificio iure allegatur *c. 8. & 24. X. de decimis, c. 7. X. de iur. patronatus, c. 2. X. de locat.* Illam enim vel locationis speciem, vel emphyteuticum contractum signasse tum ex textibus illis, tum ex aliis mediae aevi monumentis constat. CAROLVS DV FRESNE in glossario scriptorum mediae & infimae latinitatis u. *Firma* nonnulla, quae hoc argumentum illustrant testimonia affert. Prae ceteris rem omnem declarat HENRICVS HVNTINDONENSIS scribens : *Episcopus & abbatias rex Wilhelmus (sub finem seculi XI.) uendebat, aut in manu sua retinens*
ad

ad firmam dabat. Fuerunt ergo data ad firmam praedia, ita, ut dominium eorum penes regem permaneret. Et DN. BOEHMER. *Iur. Eccles. Tom. 3. ad 1. d. Iur. patron. §. 113. p. 538.* ex Auberto Miraeo diploma anni 1245. laudat, in quo conuentui alicui in *firmam perpetuam* traditi dicuntur fructus omnes, & prouentus praedii, sub annua pensione 35. marcharum monetæ Coloniensis, qui locus ideo omnino notabilis est, quia docet, firmam non semper perpetuam fuisse. Praeterea hodiernum uocabula *Ferme & Farme* a Gallis & Anglis tam locatis, quam emphyteuticis praediis tribuuntur. add. quae FRESNE habet t. *manufirma*, quae proxime ad census conditionem accedit. Et *census de manufirma* in Charta a. 1250. apud eundem reperitur.

XI

Quod si nunc ea omnia, quae ex pontificum literis aliisque iuris canonici fontibus in medium protuli, reuoluantur, patebit unicuique censum denotare ibidem *pensionem annuam*, quae uel ab ecclesiis, pro testificanda subiectione superioribus persoluitur, uel a singulis in ecclesiarum commoda praestatur. Sed tamen non adeo uetusta sunt illa decreta, quippe omnia, ni fallor, seculo XII. iuniora, facta iis temporibus, quibus multa magnaue in gubernationem ecclesiae uitia irrepserant. Cuius rei documentum non obscurum praebet, c. 6. X. *de relig. dom.* quod ostendit, in eum statum redactas tum fuisse ecclesias, ut etiam commercium earum fieret, quoniam in emphyteusin sub annua pensione exponi poterant. De prohibito commercio rerum sacrarum uid. l. 6. pr. & l. 22. *de contr. emt. l. 14. C. de S. S. Eccles. add. c. 5. X. de reb. eccles. alienandis, uel*

non, quod pugnat cum *d. c. 6.* Copiose hoc argumentum eruditius suis annotationibus illustrat *CONR. RITTERSHVSIUS in Iure Iustiniano seu expositione methodica nouellarum Part. 1. c. 8. p. 107. seq.*

XII

Tandem recentioribus pontificum Martini V. & Calixti III. quorum uterque seculo XV. uixit, literis, noua censualis pensionis species, usu primum introducta, sub *redituum annuorum* nomine confirmata est, extrauag. comm. c. 1. & 2. de *emt. uend.* Martinus V. a. 1417. Treuirensi, Lubecensi & Almicensi episcopis describit: *Quod in ciuitate & dioecesi Vratislauenſi & alijs partibus uicinis, a centum annis citra & supra, & a tanto tempore, & per tantum tempus, cuius contrarii hominum memoria non exiſtit, quaedam conſuetudo rationabilis obseruata, praescripta, ac moribus utentium approbata, & ad communem hominum utilitatem introducta fuisset. Pro quibus princeps, baro, miles, ciuis ſuae oppidanus partium earundem, cum hoc expedire uidebatur, melius pro tunc non ualentes ſibi conſulere, perſonae eccleſiaſticae aut ſeculari collegio, aut uniuerſitati, oppido uel ciuitati ſuper bonis ſuis, dominijs, oppidis, terris, agris, praedijs, domibus & hereditatibus, uendere conſueuit, & uendidit annuos cenſus unius, uel plurium marcae, aut groſſorum Pragenſium numi polomaei, & pagamenti conſueti, ad rationem, & pro qualibet marca annui cenſus, X, XI, XIII, XIV. marcae, aut plus uel minus, ſecundum temporis qualitatem prout ipſi contrahentes tunc inter ſe conuenerant. Ipſi uenditori tunc integraliter in pecunia numerata ſolui conſueuerant, bonis in ipſo contractu tunc expreſſis, pro ipſius cenſus annui exolutione in perpetuam obligatis, & uenditoribus data fuit facultas, cenſum annuum*

annuum pro eadem summa, quam accepissent, extinguere & redimere, sed ut ad hoc ipsi uenditores inuiti adstringi non uiderent, etiam bonis obligatis penitus interemiss & destructis. Postquam igitur nonnulli ex uenditoribus in arcum prauum conuersi, cupientes cum alterius pecunia locupletari, huiusmodi census, antea libere solutos, amplius soluere recusant, consingentes, huiusmodi E. V. contractus fore & esse usurarios & illicitos, declarat Pontifex, praefatos contractus licitos, & iuri communi conformes &c. Similiter respondet Calixtus III. a. 1455. Episcopis Magdeburgensi, Nurembergensi, & Halberstadiensi d. c. 2. Forſan de simili annuo reditu etiam accipiendum testimonium ex Actis Monasterii Murenſis a FRESNIO, u. Censarii, prolatum, ubi liberi censarii de Ohren dicuntur, persoluere censum de auro, quod appendit scilum. Exemplum annui census 33. tal. pro marcis argenti 220. comparati a ciuibus Freibergensibus, occurrit in diplomate Henrici Illustris March. Misn. d. ann. 1271. u. HORNII *Hist. H. ill. p. 334.*

XIII

Fuit ergo pridem, antequam hae literae exararentur, inter Germanos recepta consuetudo, ut quis annuos reditus emtionis iure compararet, eosque loco usurarum fortis suae ex praediis hunc in finem obligatis acciperet. Quin etiam interpretes iuris canonici ante seculum XV. extra Germaniam, in Italia nempe, in commentariis suis ad c. 6. X. de religioſ. domib. ita census indolem descripserunt, ut peculiare conuentionis genus, a reliquis accurate distinctum constitueret. Nam teste IACOBO MENOCHIO de praesumptionibus L. III. praef. 107. n. 16. tum interpres antiquus, qui glossam decretalibus adiecit, tum SYNIBALDVS FLISCVS (qui

postea sub Innocentii IV. nomine praefulatum Romae gessit) & alii plures emphyteutam a censuario sic distare affirmarunt, ut cum emphyteuta, cessans per biennium uel triennium canonem soluere, ab emphyteusi cadat *l. 2. C. de l. emphyt. c. 9. X. de L. C.* censuarius tamen non amittat praedium suum, etiamsi per mille annos censualem pensionem non praestaret. Vt appareat, secundum hanc sententiam censuariam ius amplius & pinguius, imo uerum & plenum dominium habere. Quamuis addat MENOCHIVS, non penitus id concessisse magnae auctoritatis interpretes alios, prioribus aetate parum inferiores, Baldum nempe & Imolam; & MATHAEVS AFFLICTVS *Neapolitanus*, celebris seculi XV. iureconsultus disertè fatetur *Decis. 129. n. 8.* quod non semper necessum ducat, ut in censuarium omne dominium transferatur, sed sufficiat *quandoque* utile tantum ipsi datum fuisse. u. MENCH. *l. c. n. 20.*

XVIII

Enimvero nondum satis instructi uidemur argumentis ad demonstrandam censiticorum bonorum originem, nisi prius diligentius excutiamus ea, quae iure patrio Germanorum, diuersis temporibus de census natura & conditionibus sancita fuerunt. Quae si cum superioribus rectè contendamus, appariturum spero, quomodo censualia praedia, & censuales reditus tum orti tum ulteriore utentium consuetudine frequentati sint. IULIVS CAESAR, qui omnes, quotquot de prisco germaniae statu aliquid memoriae prodiderunt, aetate praecessit, de Germanorum agricultura quodammodo contraria narrat. Nam, *L. 4. de B. G.* sub initium, Sueuos, dicit, ita populum suum partitos fuisse, ut

ut altera pars ex pagis armata bellandi causa educeretur, reliqui domi manerent, & se atque illos alerent, ut hac ratione neque agricultura, neque usus belli intermitteretur. Et tamen L. VI. p. m. 171. scribit: *Germani agriculturae non student, & maior pars victus eorum in lacte, & caseo, & carne, consistit, nec quisquam agri modum certum habet.* Similis dissensio alibi occurrit. Dixerat p. 92. Suevos non uno in loco remanere incolendi causa, & rursus p. 101. de Suevis narrat: quod habuerint concilium, more suo, missis in omnes partes nunciis, ut de oppidis demigrarent, liberos, uxores, suaque omnia in sylvas deponerent &c. Quapropter PHILIPPUS CLYVERIVS *German. antiqu. L. 1. c. 3.* dubitat, utrum Caesari tuto satis in rerum Germanicarum descriptione fides haberi possit. Interim nonnulli posteriora I. Caesaris uerba de agricolatione artificiali ad Romanorum modum accipienda, & ita prioribus concilianda esse arbitrantur. u. DN. GOEBEL. *Diff. de singularibus quibusdam praediis rusticorum Sect. 2. §. 1.* STRABO, Caesare paulo iunior, quippe Augusti aeuo clarus *Geogr. L. VII. p. m. 201. ed. Casaub.* Germanos depingit, ut nomades, quibus in more positum fuerit continuo sedes mutare, omni agrorum cultu intermisso. Μέγισον, αἰτ, τὸ τῶν Σηθίων ἔθνος &c. Κοινὸν δ' ἐστὶν ἅπασιν τοῖς ταύτη, τὸ περὶ τὰς μεταναστάσεις εὐμορπές, διὰ τὴν λιτότητα τοῦ βίου, καὶ διὰ τὸ μὴ γεωργεῖν μηδὲ θησαυρίζεν, ἀλλ' ἐν καλυβίοις οἰκῆν ἑφήμερον ἔχουσι παρασκευῆν. Haec testimonia ex iis seculis repetita sunt, quibus de Germania adhuc parum romanis, multominus graecis, cognita, incertae partimque fabulosae uulgi narrationes scriptoribus praeclaris imposuerunt. Potior in eodem

dem argumento fides est CORNELII TACITI, qui centum & amplius annis post Caesarem uixit, & sub Vespasiano rationes Galliae Belgicae, Rheno adiacentis, procurauit, ubi certiozem de rebus Germanorum notitiam sibi potuit comparare. u. PLENI *Hist. Nat. L. 7. c. 16.* scribit autem de moribus Germanorum TACITVS *c. 26.* *Agri pro numero cultorum ab uniuersis per uices occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur. Facilitatem partiendi camporum spatia praestant. Arua per annos mutant, & superest ager, nec enim cum ubertate & amplitudine soli labore contendunt, sola terrae seges imperatur.* & *c. 25.* postquam duo memorauit genera seruorum, eorum nempe, qui uicti alea uoluntariam seruitutem adibant, & reliquorum, qui, uel nascendi sorte, uel alia ratione, in illum statum redacti erant: addit; *ceteris seruis, non in nostrum morem, descriptis per familiam ministeriis, utuntur, suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut uestis, ut colono iniungit. & seruus haecenus paret. Cetera domus officia uxor & liberi exequuntur.* Itaque, si istis testimoniis credatur, praediorum rusticorum dominium penes digniores fuit, coloni seruorum conditione usi. Attamen quae de seruis TACITVS narrat, non uidentur dubitatione carere. Siquidem multa occurrunt domestica negotia, quae absque seruorum ministerio nequeunt expediri. Quid si quis dominus orbis liberis uixerit, uel tales fuerint liberi, qui per aetatem operam praestare parentibus non potuerunt? Praeterea ex antiquae historiae Germanicae monumentis aliis constat, utique seruos in familia aluisse Germanos, eosque in diuersos ordines, pro ratione operum curan-

curandorum, distribuiffe. In pacto legis salicæ, qui sub initium seculi VI. compositus creditur, *tit. XI. n. 6. p. 31. edit. Eccardi* constitutio habetur de furto, uenditione & nece, seruorum uarii generis, maiorum, infestorum, scantionum, mariscalcorum, fratorum, fabrorum, carpentariorum, uinitorum, & ministerialium. Quia non ubique similis seruorum apud ueteres Germanos conditio fuit. *REPKOVIUS I. Prou. Sax. L. III. art. 42.* hanc in rem ita fatur: *Non admiremini, hunc librum tam parum de iuribus ministerialium enarrare, cum & uariæ sint in eo diuersitates, quod uix enucleari possint. Nam sub quolibet episcopo abbate & abbatissa, sibi speciales competere uolunt iurium innouationes. Et cum leges huius priuilegii per diuorum principum constitutiones gemmis uerborum primitus exornabantur, ministerialium conditio non consistebat, sed OMNES liberi erant. Cum etiam nostri prædecessores ad istam se transtulerunt prouinciam, OMNIBVS competebat facultas ingenuitatis.* Et *THEODVLPHVS Aurelianensis episcopus ad annum 777.* talia narrat: *ibi multitudo Saxonum baptizata est, & secundum morem illorum omnem ingenuitatem & alodem manibus gurpierant (h. e. abdicarunt; uocis origo a guerpire cui cognatum German. werffen) si amplius immutassent secundum malam consuetudinem eorum, sed semper erunt in fidelitate regis Caroli.* add. *HELMOLDVS Chron. Slauor. L. I. c. 3.* Quibus ex locis colligi posse uidetur, saltem apud Saxones infrequentiore olim fuisse seruitutem. *ZASIVS L. I. singul. responso. c. 3. n. 76.* contendit, ueram romanorum & gentium seruitutem Germaniam nunquam uidisse. Attamen *IOACHIM. POTGIESER* in tract. *de conditione & statu seruorum apud ueteres Germanos L. I. c. 2.* copiose docet,

C

quentad-

quemadmodum etiam Germani, deuictis hostibus, more aliarum gentium, captiuis iugum seruitutis imposuerint, & quod ita sensim in Germania ueteri creuerit numerus seruorum hominumque propriorum. Contra Saxonum libertatem disputat IO. GRYPHIANDER *de Weichbildis Saxon. c. 24.* De discrimine ministerialium u. IO. SCHILTER. *Cod. I. Alem. c. 1. p. 38.* & PAUL HACHENBERG *German. med. differt. 2. §. 14. sq.* & profert de eodem argumento uberores DN. GLAFEY & DN. ESTORIS commentarii.

XV

Verum non immorabor huic disquisitioni. Proferram potius in medium antiqua nonnulla testimonia, ex quibus censuariorum hominum conditio cognosci possit. De censu regali *Lex Salica* a Carolo M. emendata *c. 20. p. 182. ed. Eccard.* iubet: *ut census regalis undecunque legitime exiebat, inde soluatur, siue de propria persona hominis, siue de rebus.* Et in capitulis Ludouici Imp. p. 188. *ut unusquisque, qui censum regium soluere debet, in eodem loco illum persoluat, ubi pater & auus eius soluere consueuerunt.* Huc pertinet etiam diploma Lotharii & Ludouici regis seculo VIII. apud FRESNE Glossar. u. Albani, *nec de liberis hominibus, albanisque & colonis, in supradicta terra commanentibus, aliquem censum uel redibitiones accipere praesumat.* In capitularibus Caroli Calui *tit. 36. c. 30.* prohibentur coloni fiscales & de casis Dei uendere hereditates suas sine licentia dominorum uel magistrorum, ne uillae destruantur, uel confundantur, & *ut census ex iis debitus possit exigi.* Exemplum census a principe in subiectionis signum imperatori soluendi illustre habet AENEAS SYLVIVS *de statu*

statu Europ. p. 83. ubi Fridericus III. Imp. Galeacio Ducis Mediolanensis filio non aliter uoluisse dicitur inuenturam dare, quam si quotannis censum dominio tanto dignum penderet. De censu ecclesiis monasteriisque debito FRESNIVS u. Censur &c. copiose exponit. Nempe *censiles homines* iam memorauit Concilium Rhemense *can. 6.* a. 630. In tabulario Vindocinensi, in charta a. 1078. dicitur *terra censum duorum denariorum pendere, quae antea alodium fuit.* CONRAD MARPVRGENSIS in uita Elisab. Regin. Hung. seculo XIII. p. 290. meminit uiri, *qui se singulis annis in suo anniuersario ad duos denarios fecit Elisabetae censualem.* Nam mos ille persfrequens fuit, ut domini praediorum ecclesiis aliisque potentioribus censum annum sponte offerrent. Exempla ex seculo VIII. recensuit POTGIESER p. 207. HELMOLDVS *Chron. Slauior. L. 1. c. 12.* per omnem Slauiam ecclesiae censum, de quolibet aratro constitutum, laudauit. Censum priuatum respicit *Lex Longobardica* tit. 104. (p. 246. edit. Io. Heroldi Basileae 1557. f.) §. 1. *Si quis liber homo in casam alterius introierit ad residendum, & ei censum reddendum, & postea aliquid emerit de rebus, quas secum adduxit, quando in ipsam introiuit casam, aut forsitan habuerit res de muliere sua, & exinde emerit, & sic probatum fuerit, tunc ipsum negotium dimittat in ipsa casa, & recipiat pretium suum.* & §. 3. *Nam si de illo labore comparauerit, quod postea laborauit, aut fecit post eos, ipsa casa, quam ad censum reddendum introiuit, in ipso cespite dimittat, ubi laborauit.* Est illa lex ex iis, quas Luitprandus Rex Longobardorum, anno regni XXI, adeoque anno Chr. 734. euulgauit. Quae quamuis magna obscuritate laboret, illud tamen clare docet, liberum hominem al-

terius itidem liberi casam siue praedium, ea lege tenuisse, ut censum pristino domino solueret. De colonis diuersa passim reperio iudicia. In *Capitulis Caroli Calui* f. 28. & alias coloni feruis accensentur. Colonos & mancipia ecclesiae ex *Caus. 10. q. 2. c. 3.* supra §. 10. indicauit. PETRVS DE VINEIS seculo XIII. Ep. II. L. VI. rusticorum & censilium appellatione seruitutem significari ait. Quibus uerbis impropiam seruitutem notari puto, quia propria ea aetate fere desierat. uid. inf. §. 23. Ex aliis uero a FRESNIO laudatis documentis constat, colonos etiam liberos fuisse. Seculo VI. GREGORIUS M. Lib. 3. epist. 21. de colonis Iudaeorum ita censuit: *Hi uero, qui in possessionibus Iudaeorum sunt, licet & ipsi ex legum districtione sint liberi, tamen, quia colendis eorum terris diutius adhaeserunt, utpote conditionem loci debentes, ad colenda, quae consueuerant, rura permaneant, pensionesque praedictis uiris praebent.* in L. ALEMANN. tit. 9. & 23. p. 63. & 66. ed. Heroldi. *liberi ecclesiae uel ecclesiastici coloni nominantur.* & in charta *Caroli Calui* a. 22. coloni S. Dionysii dicuntur proclamasse, *quod ipsi & nascendi liberi esse debeant, sicut alii eiusdem monasterii coloni.*

XVI

In iure ueteri Saxonico, tam prouinciali quam feudali, quae seculo XIII. congesta esse constat, frequens est census & censuariorum mentio; & operae pretium esse arbitror, summam praecipuorum articulorum repetere, ut quid tum census uocabulo indicatum fuerit, pateat. *I. Prou. Saxon. L. I. art. 54.* agitur *de eo, quod census a domino pati debet.* Iubetur census non maiora pignora, quam census annalis patitur, sustinere. Si census debito tempore non persoluatur, poena dupli

pli in dies singulos augenda statuitur, & permittitur domino, ut pro pretio ex suo fundo promisso, hypothecam annuo redditui aequipollentem possit creditori suo in eodem concedere. Censitus prohibetur sine consensu domini ligna caedere, uel radices extirpare, nisi hereditario iure fundus sit censualis. Ex hoc articulo colligitur, quod census fuerit pensio quaedam annua, quae domino ex praedio proprio debebatur. Vel datur ex praedio, cuius dominium in colonum translatum & census reseruatus est. Glossator latinus multa hic ex iure ciuili romanorum & canonico superaddit, sed oppido emphyteusim & censum confundit, & propterea a recentiore scholiasta Lossio reprehenditur. add. *L. II. art. 58.* ubi omnis census & pactus in festo Martini dicitur deferuitus. Et ex collato *art. 48. L. II.* qui meminit gallinae, qua in profesto Martini singulae domus decimantur, infert Io. GRYPHIANDER *de Weichbildis Saxonicae c. 30. n. 11. p. 76.* in iure Saxonico decimas, census & pacta, quae a colonis praestantur, sine discrimine adhiberi. uid. supra §. 10. Pactus uel pactum, cuius modo memini, notat, ni fallor, conuentionem inter dominum & censuarium initam. Quae uox latina etiam in alias linguas disseminata est, ut apud Graecos iuris interpretes τὰ πέντα δέναι commemoretur; & ipsum uocabulum in locationibus & conductionibus olim & hodie frequentatum Pacti ab eodem deriuatum uidetur, add. *I. Prou. Sax. L. III. art. 76.* Alio in loco nempe *L. III. art. 77.* census pro mercede ex praedio conducto soluenda sumitur. Praetereo alia nonnulla obscuriora *L. II. art. 21. & 59.*

XVII

In Iure feudali Saxonico *c. 13. §. 6.* bona censualia opponuntur feudalibus, nec potest uasallus esse, qui soluit annuam pensionem censualem. Porro *c. 15.* tribuitur feudi possessio illi, qui ex ipso censum siue utilitatem recipit. Fuerunt ergo coloni praediorum feudalium ad censum uasallo soluendum obligati. Capite 60. commemoratur casus, quando quis feudum absque infeudatione, possessione iniusta detinet, idque praedium censuale esse contendit. Subiuncta est prohibitio, ne quis praedia feudalina in censualia conuertat, in domini & agnatorum praecudicium. Ex quo confequitur, quod ius censuale amplius feudali fuerit, ut possessor praedium maluerit libere tanquam dominus absque inuestitura & nexu feudali, lege saltem annuae pensionis praestandae, habere, quam uasalli conditionem sustinere. Quando autem ulterius de ipso praedio censuali dicitur, quod idem non possit alii locari pro maiori pensione uel censu simili, significari uideatur, quod aliquid adhuc iuris pristino domino in rem censualem relictum sit.

XVIII

Ius Prouinciale Alemannicum, uulgo speculum Suenicum, (quod inferuit MELCH. GOLDASTVS *operi Germanico Constitut. Imper. Part. 1. f. 31. sq.*) uti Saxonici uestigia fere perpetuo sequitur, ita nec in argumento de censu ab eodem recedit. Quo spectant *c. 332. 333. 340. 341.* sed tamen in ultimo capite census accipitur pro pensione, quae locatori alicuius praedii, adeoque uero domino datur. Nam usus ille uocabuli sequiore tempore peruulgatus fuit. *1. Feud. Alemann. c. 30.*

V018

von Zinslehn, docet, praedium non esse feudum, cuius possessor censum soluere tenetur, & si uasallus affirmet, quod sit feudum, debet dominus uel acquiescere, uel contrarium probare. In principio conuenit positio cum *I. F. Sax. c. 13. §. 6.* quod ex feudo census non soluatur, sed quoad probationem dissident. conf. *Io. SCHILTERI commentarius ad I. F. Al. d. c. p. 198.* Eiusdem *Codiciis feudalis cap. 151.* feudum censuale a franco distinguitur, ubi fundus censualis, uel solum ius census alteri in feudum dari posse affirmatur, reseruatis feruitiis uel operis, quae ex eodem fundo a rusticis debebantur. Quo ipso tamen eueniet, ut feudum non francum, sed onere quodam affectum euadat. uid. similis casus *I. F. Sax. c. 74.* Ceterum de antiquitate iuris Alemannici dissentit SCHILTER a plerisque aliis. Nam idem multo uetustius Saxonico reputat, nec ambigit ad *Caroli M. aetatem eius ortum referre, in praef. Cod. I. Alemann. Feud. §. 17.* in contrarium argumenta profert *CONRINGIUS de Orig. I. G. c. 30.* & *DN. STRYUIVS Histor. Iuris p. 487.* conf. *DN. DE LVDWIG praef. I. clientelaris Germanorum p. 7.*

XVIII

In iure Lubecensi, quod recentiore collectione seculo XVI. facta uarie interpolatum uidetur, de bonis censiticis nihil reperio definitum. De annuis uero redditibus *Lib. III. tit. 6. c. 8. 9.* copiose exponitur. conf. *DAV. MEVII Commentar. ad I. Lub. p. 641.* & historia iuris Lubecensis commentario illi praemissa, & *HENR. MEIBOMII introd. in hist. Saxon. infer. p. 81.* Ceterum illud non est silendum, quod in Germania diu admodum censuum constitutio frequentata fuerit, antequam legibus

bus imperii approbaretur. Id quod patet ex reformatione politica Caroli V. auspiciis a. 1548. Augustae Vindelicorum publicata, sub titulo *von wucherlichen Contracten*, ubi annuis reditibus praescribuntur certi limites, quos migrare nefas sit, nempe ex pretio dato, tanquam forte, tantum quincunces usurae permittuntur, & additur: *nachdem die Wiederkauffs - Gulden allenthalben in Landen gemein seyn*. Quae uerba diuturnum recepti illius contractus usum significant. Eadem fere repetuntur in *Ordinat. Polit. Francofurti a. 1577.* publicata, tit. 17.

XX

Cum autem hae constitutiones imperii tantum ad unam pensionis censuales speciem, quae annuorum redituum redimibilem nomine tenent, spectent, tandem a Diuo Augusto Electore Saxone generatim de censibus & eorum notis leges promulgatae sunt. *Constit. XXXIX. Part. II. & Constit. XXIV. Part. III.* Prior quidem constitutio agit de discrimine bonorum emphyteuticorum & censuicorum, quod imprimis in eo ponitur, quod, censuarius non soluens pensionem, praedium suum non amittat, quia penes ipsum directum & utile dominium residet, cum in emphyteusi secus se res habeat. Additur, quod mutato domino census, uel praedii censuici possessore, noua inuestitura necessaria non sit, uel, si qua inuestitura moribus recepta sit, ea tamen censuico iuri nullum faciat praerudicium, denique quod in casu dubio praedium potius censuicum, quam emphyteuticum, praesumatur, ob neglectam tamen censualem pensionem poena arbitraria moroso censuario iniungi possit. Altera uero *lex 24. Part. III.* decidit scrupulum, an annui reditus ad rerum mobilium uel

uel immobilium classem debeant referri? Nempe, si annui reditus redimibiles, e bonis immobilibus quotannis soluendi, certa pecuniae summa ita emanant, ut fors ipsa, in totum alienata, repeti a uenditore non possit, ea fors pro re immobili habenda est. Quando autem non in bonis immobilibus reditus constituti sunt, & uenditor ad eos soluendos tantum personaliter obligatus est, distinguitur inter sortem & reditus ipsos, eosque in specie, quorum terminus solutionis, uel dies uenit, hi mobilibus, sortes immobilibus, rebus accensentur. In quas leges amplissimi CARPZOVII commentarii prostant. Praeterea addatur *Ord. Proc. Sax. Ver. tit. 46. §. würde sichs* &c. ubi etiam in bonis censiticis directum aliquod dominium locum habere affirmatur.

XXI

His ita praemissis, sequitur, ut de origine pensitationis censualis non improbabilis coniecturas exponam. Veteres Germani, TACITO teste *de Mor. Germ. c. 19.* leges ignorarunt, earumque loco boni mores ualuerunt. Lites obortae aequo decidebantur principum iudicio, qui eum in finem in conciliis electi erant, & quibus comites singuli centeni ex plebe consilio & auctoritate adiungebantur. Romani quamprimum in Germaniam penetrarunt, & aliquas illius prouincias sub suam potestatem redegerunt, omnem mouerunt lapidem, ut legibus Quiritium populum iugi impatientem afuescerent. Memorabile est exemplum Quintilii Vari, qui cum Augusti Caesaris iussu mediam ingressus esset Germaniam, iurisdictionibus agendoque pro tribunali ordine aestiua traxit, futurum ratus, ut romanae

D

iusti-

iustitiae usu feritas Germanorum miresceret. Quam iuris disciplinam, PATERCVLO *L. II. p. m. 125.* teste, Germani callide in suam utilitatem uerterunt, & Varum securum, nihilque metuentem oppresterunt. Et licet post cladem Varianam iterum romana iura Germani ex-terminata ex patria sua cuperent. u. FLORI *L. III. c. 12.* tamen cum postea maxima Germaniae portio, romanorum armis domita, iisdem per plura secula parere cogeretur, nullum est dubium, quin etiam leges romanae sensim magis magisque Germanis innotuerint. Saltem ex antiquissimis Francorum & Langobardorum sanctionibus luculenter apparet, istarum auctores romani iuris notitia fuisse imbutos, plurimaeque ex iis placita depromisse, quod etiam iuniores Saxoniarum & Sueuicarum consuetudinum scriptores fecerunt. Inter instituta romanorum prima, quae uel inuitis germanis introducta sunt, referre oportet pensitationem census siue tributi in publicum aerarium annuatim inferendi. conf. SVETONII *Iul. Caes. c. 25.* EYTRÖP. *Breuiar. H. R. L. VI. c. 14.* Hic tanquam signum obsequii, quo romanis uictoribus & dominis deuincti erant, soluebatur, idemque, post profligatos ex Germania romanos, ab ipsis principibus Germanis & Francis sub *regalis census* titulo fuit retentus. (§. 15.) Quae ratione Germanis inde ab eo tempore, quo caesarum auspicii subiugati sunt, census nomen tam frequens in ore & usu esse coepit, ut facile etiam in uernaculam eorum linguam reciperetur. Inprimis cum postea etiam pontifex, episcopi & clerici, ad tributariae pensionis exemplum, ab ecclesiis aliisque bonis, suo iuri obnoxii, censum annum stipularentur.

XXII

Cum itaque ex superiori tractatione abunde constet, pensitationem census, subiectionis singularis, qua censuarius, domino praedii, in quo morabatur, deuinctus erat, documentum extitisse, necessum est, ut dum in census originem inquirimus, illius nexus primordia, eaque manifestiora, indagemus. Sed quoniam in Cornelii Taciti testimonio, (§. 14.) ob explicatas suo loco rationes, acquiescere haud licet, alia eaque luculentiora seruitutis colonorum, & secutae postea censiticorum bonorum formae, indicia circumspiciemus. Obuia, ni fallor, illa occurrunt in historia inuentorum beneficiorum feudaliū, quae utpote testatissima & extra omnem controuersiam posita, ceteris omnibus anteferenda esse arbitror. Scilicet, cum iam pridem Romanis in more esset positum, militibus maxime ueteranis, & de republica praeclare meritis, agros quosdam, in regionibus, quas sub suam ditionem armis redegerant, possidendos fruendosque concedere, tum ut utilitatem eorum operam remunerarentur, tum ut his tamquam custodibus, ad continendam in officio gentem deuictam uterentur. u. SVETONIVS *Aug. c. XIII.* LAMPRI-
DVS *Alexand. Sener. c. LVIII.* FLAVVIUS VOPISCVS *Prob. c. XVI.* add. *l. n. de euictionib. l. 3. C. d. fund. limitroph.* Horum postea exemplum secuti sunt, Germani, eo potissimum tempore, quo in imperii romanorum prouincias, etiam Italicas, prospero Marte imperum fecerunt, plurimasque ex iis occuparunt. Tum enim militibus, qui fortitudinis gloria ceteris antecelabant, beneficia quaedam, siue praedia ampliora sub intemperate fidei conditione contulerunt, & hac consuetudi-

ne, primum in Lombardia, ob soli fertilitatem maxime deamata, iuri clientelari uel feudali, quod deinceps latissime per uniuersam Germaniam, aliaque regna, diffusum est, originem dederunt. conf. PETRI HEIGH *Quaest. I. part. I. n. 29. sq.* MUTIVS in *Chron. Germ. f. 40.* de Alboino Rege Langobardorum qui circa seculi sexti medium floruit, perhibet, eum agros omnes inter milites suos fuisse partitum. *Post haec, inquit, Insuenum & Mediolanum capit, & sic deinceps omnia diripit, agros suos diuidit, quotidie sine intermissione ex Germania plures sequebantur, quibus omnibus possessiones dabantur.* Ex uafallis illis multi maiorem olim, quam par erat, in beneficia sibi concredita, & colonos eadem inhabitantes, potestatem arrogare solebant, dum ea ueluti propria tractarent, & ab ipsa alienatione, incio licet domino, non abstinerent, donec Lotharius Imperator peculiari lege arctioribus limitibus uafallitica iura circumscriberet, ita ut saltem locatio fundorum feudalium, & in feudatio, quoad ea domino fraudi non est, beneficiariis permitteretur. *II. F. 9. pr. & §. 1. II. F. 44. & 52.* Ea igitur aetate, qua laxior & amplior erat uafallorum in feuda facultas, siue a seculo VII. ad XI, isti ruricolae ad censum, qui olim tantum supremis principibus dabatur, sibi, tanquam terrarum possessorum gubernatoribus, soluendum, & ita nexum subiectionis testificandum, compulisse uidentur. Fere uti SALVIANVS Masfil. seculo quinto, *Lib. V. d. Gubernat. Dei. p. 115. edit. Paris. Baluz.* de romanis potentioribus, sub exactionis tributi publici specie, agricolas in seruilem statum detruentibus, queritur. Forfitan apta explicatione huic opinioni accommodari potest REPKOVII, legum Germa-

manicarum apprime periti, narratio *1. Prou. Saxon. L. III. art. 44.* de colonis a Saxonibus uictoribus in praediis suis nomine *Lassorum* relictis. Quae etsi historiarum ignoratione, more illius scriptoris, fabulis nonnullis contaminata sit, omnis tamen, ob testis auctoritatem, contemni haud debet. (Quin similem fere de Saxonum aduentu in Germaniam historiam proferre non ueretur WITICHINDVS *sec. IX. & X. clarus, qui lib. I. annal. sub init.* illam Saxonum migrationem se certo nouisse affirmat. add. ANON. ERPHEFORDIENSIS *Hist. Landgr. Thur. c. 3. p. 909.* GODFRIDI VITERBIENSIS *Pantheon. p. 361. Tom. I. Collect. Io. PISTORII & ALB. KRANTZ. Saxon. p. 1. 2.*) Et auctor glossematis Germanici l. c. *lassum* nominat colonum, qui praedium censiticum tenet. De eiusdem uocabuli interpretatione disquirunt ECCARD *in notis ad catechesin theotiscam p. 143. & ad L. Sal. p. 30.* DN. DE LVDWIG *l. Clientel. Germ. col. 221.*

XXIII

Secundum hanc de origine census priuati, improprie adhuc & informis, hypothesein existimandum est, censualium praediorum possessores olim dedititiam habuisse rationem, & seruorum quodammodo similes extitisse, quod etiam ex iis, quae *supra §. 15.* laudauimus, monumentis elucet. At temporis progressu benigniore illi iure uti coeperunt. Quamprimum enim imperatores ad fidem christianam conuersi sunt, aequum putarunt, ut multis, misera seruitute pressis, manumissionis beneficium impertirentur. Ea de causa Constantinus M. nouam promtiorumque in ecclesiis seruos manumittendi rationem praescripsit, u.

iii. C. de his, qui in eccl. manumitt. & Iustinianus legislator libertorum conditionem sustulit. Nou. 78. l. 3. C. de bon. libert. Hanc imperatorum pietatem mox imitati sunt Germani. Nam manumissionem secundum legem romanam, quam ex promulgata Constantini Constitutione uel Codice Theodosiano didicerant, receperunt, uti testatur *l. Ripuariorum t. 58. de tabulariis l. 1. p. 222. ed. Eccard. Hoc etiam iubemus, ut qualiscunque Francus Ripuarius seu tabularius seruum suum pro animae suae remedio seu pro pretio secundum legem romanam liberare uoluerit, ut in ecclesia coram presbyteris, diaconibus, seu cuncto clero & plebe in manu episcopi seruum cum tabulis tradat, & episcopus archidiaconum iubeat, ut ei tabulas secundum LEGEM ROMANAM qua ecclesia uiuit, scribere faciat &c. conf. C. Theod. Tom. 1. p. 355. &* quod innumeris iudiciis & testimoniis ueterum comprobatur, adeo Germani in donanda ingenuitate fuerunt liberales, ut maturo in Germania manumissorum multitudo inualesceret, u. *BODINI d. republ. L. 1. c. V. p. 61. POTGIESER p. 54. ex Schatenii Historia Westphaliae memorat, ann. Chr. 840. libertos, qui sese Stellingos nominabant, in Germania magno numero congregatos, dominis oppressis expulsisque, sine lege uiuendi licentiam affectasse, ut imperator Ludouicus eos praelio superare, & in ordinem redigere fuerit coactus. Nihilominus Lotharius I. Ludouici filius, cum aduersus fratres bellum gereret, ut populum in suas pertraheret partes, teste Nithardo, quibusdam libertatem dedit, aliis post uictoriam se daturum promisit. conf. DN. STRVII Hist. German. disp. 8. §. 19. p. 223. Praeterea constat tam exosam fuisse principibus Germanis seruitutem, ut, ne illa auferret, sanctiones*
 fin.

singulares euulgarent. Extant adhuc PIPINI & GVIDONIS leges de liberis hominibus non opprimendis, uid. ECCARD. *Collect. LL. Francor. p. 196. 198.* & posteriore quidem loco liberi homines *Arimanni*, quos ECCARDVS *Ebmanne*, qui alodia hereditario iure tenebant, interpretatur, nominantur. His aliisque modis, quo etiam urbium frequentiorum extruccionem referre licet, factum est, ut indies seruorum & propriorum hominum numerus minueretur. Et CONRINGIVS *de Urbib. Germaniae p. 81.* non ueretur scribere, aeuo Henrici primi, pene omnes seruos fuisse manumissos, de quo tamen alii merito dubitant. BARTOLVS *ad l. 24. ff. de captiuis* perhibet, suo aeuo, adeoque circa seculi decimi quarti initium, nullibi in Italia seruos uenales fuisse.

XXIII

Quamuis autem non penitus improbable sit, dominos agrorum non paucos, qui censuarios, haecenus seruitutis uinculo sibi addictos, libertate donabant, eis una ampliozem in praedia facultatem concessisse, siquidem praeuidebant futurum, ut isti agros proprios diligentius quam alienos colerent, dum interim sibi seruabant pensitationem annuam, & operas loco seruitiorum pristinorum praestandas. Tamen cum, pro constituendo censu ueri nominis, transferenda esset in censuarium praedii proprietates, non possumus non existimare, aegre eam dominos, pro exigua census seruati quantitate, e manibus dimisisse, atque eapropter sublimiozem aliquam auctoritatem hic interuenisse oportet. Assumam igitur, quod accurate monet DN. SPENER *l. publ. Lib. II. c. 7. §. 8. not. c.* dominos territo-

rio-

riorum, ut suae utilitati & potentiae consulerent, plures ingenuos quam seruos subditos, habere maluissent, atque ideo seruorum libertatem sedulo promouissent, & hanc cum territorialis superioritatis iuribus ueluti adoleuissent. Haec sane opinio magna semet probabilitatis specie commendat. Nam cum nulla lex uniuersalis, seruorum manumittendorum causa, per Germaniam lata sit, & tamen seruitus omnis inde abhinc aliquot seculis, cessauerit, relictis saltem passim propriis hominibus, qui tamen nonnihil a seruis priscis distant, recte putatur, prouinciarum rectores & principes solos talem feruilibus status cum libertate commutationem efficere potuisse. Et hinc demum census proprii origo clarius patescit. Quemadmodum nempe circa patriae nostrae regimen uix ulla maior status publici conuersio accidit, quam cum haud diu post Carolingorum caesarum excessum, principes & comites, qui haecenus iussu imperatorum prouinciis praefecti fuerant, eas hereditario iure regere inciperent, u. MYLERI *Archolog. c. 9.* LYNKERI *diff. d. Superiorit. territor. p. 8. sq.* ita etiam misera plerorumque agricolarum Germanicorum conditio omnium opportunissime eodem tempore potuit mutari, ut adepti libertatem, agris, in quibus morabantur, in posterum tamquam propriis, modo annua pensitatio, in pristini recordationem dominii, praestetur, uterentur.

XXV

Quoniam superioritas territorialis inde a Conradi primi imperio, usque ad interregnum augmenta cepit, & tum demum ad supremum apicem euecta est, sequitur, quod ante interregnum, uel ante medium seculum

seculi XIII. bona censitica genuinam formam nacta fuerint. Quae aetas optime conuenit testimonii supra ex iuris patrii fontibus, & interpretationibus canonum in medium allatis. §. 13. 15. sq. unicum superaddam ex seculi XII. scriptore, HVGONE FLAVINIACENSI, qui in chronico Virdunensi ad a. 1098. narrat, *agricolas quosdam terram censuam pro mercato eorum tenuisse, & congregatos fuisse homines ad tuendum usum censualitatis suae.* Quod si illi mercati sint terras censu oneratas, liberi fuerunt, & uera bona censitica possederunt.

XXVI

Non solum census praedialis, data colonis ingenuitate, ortus est, sed saepe numero constitutus fuit promissionibus eorum, qui allodia sua, uel pietatis studio ecclesiis & personis ecclesiasticis (u. §. 15. ad an. 1078.) uel securitatis causa potentioribus, aut lucri potiundi gratia, ditioribus quibusdam, censualia reddiderunt. Vnde apparet, cur census modo soluatur uasallis, & dominis, qui aliquo in loco iurisdictionem exercent, modo extraneis, nullaque in censuarium potestate polentibus, quorum nempe antecessores oneroso titulo ius illud sibi comparauerunt, quemadmodum etiam hodiernum id euenire nonnunquam solet. Tandem census appellatio omnibus pensionum, etiam earum, quae usurarum loco, uel ex locato conducto dantur, generibus, in uniuersum tributa est. Forsan, quia sequire aetate non minus frequens fuit emptio & uenditio censuum, quam pecuniae mutuae datio, uel rerum utilium locatio & conductio.

XXVII

Paulo aliter de hoc argumento philosophatur CASPAR ZIEGLERVS in *diff. de praediis censiticis ruralibus*, quae inter selectas eiusdem disceptationes *ibem. X. p. 391. sq.* legitur. Nam primum TACITI testimonium de totius Germaniae colonis ualere supponit, deinde ab Henrici V. Imp. aetate colonorum & census originem repetit, nixus auctoritate CHRISTOPHORI LEHMANNI, qui in *Chronico Spirensi L. III. c. 14. p. 278.* talem Henrici constitutionem laudauit. Qua promulgata, literatissimus ille ICTUS factum fuisse putat, *ut rustici aut censiti rurales ad pinguiorem aspirauerint conditionem, fundosque suos, quos ut plurimum steriles, & sentibus oppletos, coluerant, aut alioqui seruili conditione in iis uersabantur, pleniore iure possidere coeperint.* Verum hanc opinionem nonnullis adhuc dubitationibus locum facere, ea, quae paulo ante data opera digessi, perspicue probant. Verba LEHMANNI d. l. ita fluunt: *Die andere Abtheilung der Stadt Speyer hat ihren Anfang bey Kayser Heinrichs des V. Zeit. Denn als derselbe samt denen Fürsten des Reichs gespühret, daß durch Krieg, Todesfälle, Vermischung der Heyrath, zwischen der Bürger und Handwercker Kinder, die Bürger-schafft wollen schwach werden, und in Abgang kommen, hingegen die Einwohner sich starck vermehrt und gewachsen, aber als aller Burgerlichen Freyheit unfähig, dem Käyser und dem Reich keine Dienst und Nutzbarkeit leisten können, hat der Käyser mit Rath und Zuthun derer Fürsten des Reichs sehr löblich und nützlich verordnet, daß alle damahlige Einwohner, Handwercker, und die das Feld bauen, Schiffer und Fuhrleut, Bürger und freye Leut seyn, und derselben Gerechtigkeit gemessen, und auch die Beschweren derselben tragen sollen.*

Sollen. Data igitur est lex Henriciana tantum in gratiam illius plebis, quae tum ciuitates immediate imperio subiectas inhabitabat. Neque uniuersalis fuit, nec per eam omnibus in Germania feruis libertatis beneficium obuenerit. Praeterea ex HYGONE FLAVIO §. 25. docui, seculo XI. iamiam censuales quosdam homines ingenuos fuisse, qui terras censuales emtionis titulo acquisuerant. Et tandem de ipsa constitutione adhuc superest scrupulus, an uspiam prodierit. Silent eam scriptores coaevi & tutum non est, solius LEHMANNI auctoritate niti, quippe qui subinde historiae suae aliqua de ueteri Germania statu absque argumentis idoneis permiscuit.

CAPVT II

DE

NATURA BONORVM CENSITICORVM.

XXVIII

Quam difficile sit & arduum, noscere originem bonorum censiticorum, ex iis, quae haecenus disserui, luculenter patet. Sed nec minus impeditum est capitis secundi, quod nunc aggredior, argumentum. Cum enim pensio censualis non legibus, sed consuetudine sensim inuecta fuerit, accidit, ut illius constituendae gratia contractus non ubique similes inirentur. Hinc ille circa census formam ueterum & recentiorum ICtorum dissensus. Veteres quidem iuris interpretes, quos suo loco §. 13. laudauī, census in-

E 2

dolem in eo positam existimarunt, quod praedii, ex quo idem soluitur, plenum dominium penes censuarium resideat, ut censitor in idem nullum ius, praeter pensionis promissae exactionem, habeat, cui placito recentiores iuris prudentes certatim subscripserunt, censumque de re propria, canonem de re aliena, praestari affirmarunt. uid. EVERHARDI *Loc. 31. ab emphyt. ad censum num. 3.* Afferri etiam possunt haud leues, quae idem euincant, rationes. Nam I.) praeter consensum doctorum antiquiorum, qui de more sua aetate introducto, & frequentato, optime testimonium perhibere potuerunt, occurrunt etiam II.) in iuris Germanici monumentis loca aliqua, quibus significatur, censuales fuisse liberos, nullique, quam census quotannis soluendi, oneri obnoxios. Id charta ex tabulario Vindocinensi ad ann. 1078. supra §. 15. allegata, item exceptio I. prou. Sax. L. I. art. 54. *nisi hereditario iure fundus sit censualis*, docent. add. I. Feud. Sax. c. 15. Praeterea III.) redituum annuorum et si ferius receptorum conditio idem innuit, quia, licet ob acceptum pretium uenditor praedium suum censu oneret, tamen dominus illius pleno iure manet, & emtori redituum saltem tacita hypotheca, quae domini facultatem non euertit, reseruatur. IIII.) Et si origo priscorum censuum priuatorum ex tributorum pensionibus publicis deriuetur, ubi dominus praedii ex re propria in aerarium principis annuum censum infert, non incommode hinc colligeretur, priuati quoque census debitorem dominium retinuisse. Tandem V.) admissa tali census definitione, ab omnibus aliis circa praedia contrahendi modis, idem clarissime distinguitur.

XXIX

Quando autem in contrarium argumenta expenduntur, illa non omnino pondere destitui intelligemus. Siquidem (I.) veteres quoque inter se iam pridem dissenfere interpretes, & fuerunt, qui censuario dominium utile tantum competere putarunt, (§. 13.) & (II.) inter testimonia ex iuris Germanici monumentis excerpta reperiuntur aliqua seculo XIII iuniora, quae domino census aliquam uel in ipsum censuarium, uel in praedium eius potestatem adscribunt §. 15. sq. (III.) redituum annuorum in doles peculiaris est, nec cum constitutiuo & reseruatiuo censu omnimodo conuenit; (III.) salua etiam existet censuum priuatorum, ad tributum olim romanis dati exemplum inuentorum origo, licet facile potuerit euenire, ut ab eadem non nihil defecterent posteriore aeuo domini, qui praedia sua census percipiendi causa aliis utenda fruenda concesserunt. (V.) Neque omnino perit discrimen census ab aliis contradibus, si modo ad illius iuris formam rite perpetuo attendatur, quod qui facere neglexerunt, plane non potuerunt indicare, quantum ab emphyteusi & libellaria conuentione, utpote maxime cognatis, census praedialis distare debeat. Ita ANDREAS TIRAQUELLVS in opere de retractu, de *Retraict. Lignogier* §. 34. gloss. 1. scribit: *inter emphyteutam & censuarium, siue libellarium & similes non multum interest, & quicquid discriminis somniarint ii, qui ab initio haec uocabula aduexerunt, in desuetudinem propemodum abiit, & hodie promiscue his utimur.* Et DOMINICVS A SOTO de *Iustit. & Iur. L. VI. qu. 5. art. 1.* censum appellat omne ius percipiendi pensionem, siue in fructibus, siue in pecunia, siue in re aliqua utili.

XXX

Verum enim uero hæc Sotiana definitio laxa nimis est, atque inconueniens, quippe quæ omne ius census peculiaris euertit, & usum nominis proprium & improprium manifeste confundit. Aliam plane suppeditant collata ueterum tam legum, quam interpretum testimonia. Scilicet formam siue indolem genuinam census praedialis reperio collocandam esse *in iure perpetuo & irreuocabili, quo censuarius in praedio censuico gaudet, ut idem ipsi eripi a censitore non possit, modo annuum censum exsoluat, uel si hoc facere intermiserit, id quod interest, praestet.* Eandemque census definitionem talibus confirmo argumentis: I) in Iure provinciali Saxoniæ communi *L. I. art. 54.* huc pertinent prae ceteris uerba: *Si quis censum debito tempore non persoluerit, altera die & singulis diebus, dummodo in aedibus censitorum a domino sententialiter pestuletur, duplicatur.* Quae probant, censitori ademtam fuisse potestatem in rem censualem, nec potuisse ipsum amplius quidquam censum, uel in casu morae duplam pensionem in dies singulos exigere; ea de causa glossema germanicum ad *I. prou. L. 3. art. 79. f. m. 258.* expresse describit censum sequenti modo: *Auch haben die Gebauer die auf dem Zins - Guth suzen viererley Recht, das erste ist, daß es nicht ledig werden mag, dieweil das da einer zugebohren ist, und daß man sie davon nicht weisen, noch dringen mag.* Et paulo post: *Alle Gebauer erben das Guth, das über ihren Zins ist, auf ihren Nechsten, und verkauffen es wem sie wollen.* add. gloss. *L. I. art. 54. consentit I. F. Saxon. c. 60.* II) Cum reditus annui redimibiles in decretalibus literis u. §. 12. & alias census

fus quoque annui dicantur, uel ex hoc nomine cognoscitur, inter utrosque peculiarem intercedere similitudinem, & reditus redimibiles ad exemplum pensionum censualium fuisse inuentos. Quod si uigetur uera cognationis ratio indicanda sit, illa prodit, quam dixi, quod sicuti emtor redituum annuorum non potest uenditorem ad redimendum cogere, ita nec censitor possit censuarium ex dato sub lege soluendi census annui praedio eliminare. Porro III) posita illa, quam dixi, natura bonorum censiticorum, horum ab emphyteuticis post peregrini iuris notitiam in Germania serius quam censitica receptis, (de receptis emphyteuseos apud Francos u. SCHILTER. de bonis laudemial. §. 11.) discrimen euidenter patescit. Ne quid commemorem de huius definitionis conformitate cum origine prima census praedialis, a censu publico romanorum deducta.

XXXI

Itaque patefacta census indole, nuhc iudicium ferre licet, quid eidem congruat, uel ab eadem recedat. De quibus ut perspicue exponam, cogitata mea nonnullis articulis concludam.

I) Non est prorsus necessarium, ut censuario competat plenum in rem censualem dominium, sed quandoque sufficit, si utile ipsi concedatur. Tametsi enim hoc ex ueterum legum germanicarum monumentis, utpote in quibus illa domini partitio non occurrit, disertis uerbis ostendi nequeat, tamen rem ipsam ibi deprehendo. Huc refero *I. prou. Sax. L. I. art. 54.* uerbis: *nullus censitorum sine consensu domini sui foueas excidere, uel ligna caedere, uel eius radices poterit extirpare, nisi heredi-*

reditario iure fundus sit censualis. germ. es sey denn sein Erb-Zins-Guth. Loquitur auctor de praedio homini libero in censum dato, ex quo non poterat expelli, ut paulo ante euctum dedi, & concedenti auctoritas reservatur, qua impedire possit censuarium, ne pro libitu re sua utatur fruatur. Haec facultas dominii aliquam particulam retentam denotat. Idem credere iuris Canonici interpretes quidam antiquiores (§. 13.) quibus etiam recentiores nonnulli subscripserunt, vid. FRANTZK. *de Laudem.* c. 10. n. 47. STRYV. *Synt. I. F. c. 2. §. 10. n. 3.* Et in *Ordinat. Proc. Saxon. Veteri t. 46.* diuus legislator eandem opinionem probavit. Nihilo fecius tamen CARPZOVINS. c. 39. p. 2. d. 1. & 6. statuit contractum non fore censiticum, sed emphyteuticum, si directum dominium residet penes censitorem, verum rationes profert non satis solidas. Nemo enim dixerit, emphyteuseos naturam in sola separatione dominii directi & utilis esse positam, & tantum abest, ut l. 23. de R. I. & reliquae laudatae, quae ostendunt mentem contrahentium in conventionibus praecipue esse respiciendam, CARPZOVIO patrocinentur, ut potius haud parum ipsi repugnare uideantur.

II) Quoniam autem censitor praedium colono dedit ea lege, ut nullam sibi reservauerit spem eiusdem praedii iterum potiundi, patet, quod dominium directum censitoris parum ipsi prosit. Nam cum in emphyteusi haec illius iuris vis sit, ut possit consolidari utilitas cum proprietate, quia hoc cessat in praedio censitico, exiguus erit illius iuris effectus. Solum id efficiet, ut domino absque eius consensu novus censuarium obtrudi, uel in eius praedii iudicium, hypotheca in bonis censu-

cenfiticis conftitui non poffit. u. *Tir. 46. O. P. S. V. conf.*
COLER. d. Proc. Execut. l. 10. 163. p. 330.

III) Inueftitura, quam in Germania cenfuarius a domino iurisdictionis petere tenetur, ut dominium rei cenfualis legitimum confequatur, nihil obeft etiam cenfui proprio, quia conftat, hanc in allodialibus quoque ufitatam, & ordinis ac fecuritatís caufa fapienti inftituito introductam fuiſſe, ut omnes rerum immobilium alienationes praefcitu & confenfu magiftratus peragantur. Quod etiam fignificat auctor gloſſi germ. *I. prou. Sax. l. III. art. 79. Zinsgul leibet man im Lande zu Sachfen dem der es kauffet, das iſt nichts denn ein Zeichen, daß es des Herren Wille ſey.* conf. *I. Feud. Alem. c. 10. §. 2.* & ſi libet *PRAESIDIS diſſert. de traditione rerum collato iure naturali & civili illuſtrata §. 50. 51.* Si negligat hanc inueſtituram cenfuarius, praedium cenfiticum non amittit, ſed ob legis ſalutaris contentum poena ſaltem arbitraria ipſi irrogatur. u. *CARPZ. l. c. def. 5.*

III) Porro ſi mores utentium laudemium inuexerint, neque hoc pleni dominii rationes perturbabit. Haberi enim poteſt pro annuae penſitationis acceſſione, ad imitationem quinquageſimae iuſtinianeae *l. 3. §. f. C. de l. Emphyt. excogitata.* conf. *SCHILTER. diſp. de bonis laudemialibus §. 4. ſeq. FRANTZK. de laudem. c. 1.*

V) Ius protimiſeos quo nonnunquam bona cenſualia onerantur, uidetur quidem praebere indicium cen-

F

cen-

census imperfectioris, quia in emphyteufi consequitur dominium directum referuatum *arg. l. 3. §. 2. 3. C. de iur. emphyt.* attamen, si alias constet de pleno censuarii dominio, non puto eidem iure protimiseos, ui consuetudinis, uel singulari conuentione inducto, praedictum fieri posse. Nam ad morem Germanicum romana legislatio circumspice est transferenda. Nec ius protimiseos omnem directi domini in emphyteufin effectum capit, quin superfit multo adhuc maior, nempe facultas uniendi directum & utile dominium, si legibus constitutae conditiones existant. Notum quoque est, saepe alicui ius protimiseos conuentione a domino u. g. debitore concedi, ut tamen plenum dominium minime imminuatur. consentit mecum ZIEGLER, qui etsi *disp. cit. §. 19.* censitici ruralis praedii possessori tantum utile dominium tribuerit, tamen *§. 33.* domino census ius protimiseos negat.

VI) Quando ita conuenit inter censitorem & censuarium, ut, si census stato die non persoluatur, hic iure suo excidat, & praedium ad pristinum dominum redeat, peculiaris census improprii species nascitur, quia lege illa commissoria ius censuarii reuocabile redditur. Qualem olim non fuisse ignoratam, duorum ex Seculo XIII. depromptorum diplomatum fide confirmauit magnif. *Dn. Ordinarius LEYSER Mediar. ad ff. Spec. 102. Vol. II. p. 832.*

VII) Partitiones census in constitutum & referuatum, item realem & personalem, utpote titulis suis

suis satis cognitatis, lubens praetereo. Differuit de iisdem copiose FRANZKIVS *Resolutionum Lib. I. Qu. 1. §.* In lectione ueterum scriptorum probe distingui debet census uerus & abusive dictus, siue proprius & improprius. Nam uti hodie usus uocis Germanicae *Zins* promiscue quibusuis annuis pensionibus applicatur, ita etiam olim latinum census nomen impropriam eiusmodi significationem habuit. Anni redditus redimibiles ad censum proprium eatenus referendi sunt, quatenus, ratione censitoris siue creditoris ius perpetuum & irreuocabile existit.

XXXII

Qualis sit praedii cuiusdam singularis censitici conditio, & utrum illius possessor plenum uel diuisum dominium habeat, saepenumero ancipitem parere solet disceptationem, quando, deficientibus documentis, praesumptionibus niti iudicium debet. Generatim quidem (1) cum dubitatur, utrum praedium sit emphyteuticum uel censiticum, posterius est uerisimilius, tum, quia in re dubia benigniorem sequi oportet interpretationem, *l. 192. de R. I.* tum, quia census ex iure germanico, emphyteusis ex iure peregrino romanorum, ortum habuit. uid. perill. DN. DE BERGER *Elect. disceptat. forens. Tit. XL. §. 10. p. 1326.* (ubi sub finem eiusdem articuli grauem omnino de materia, cuius tractationem praesenti opusculo quadantenus illustrare institui, admonitionem subiunxit: *Quod quidem iuris [de boni censit.] argumentum,*

uni a D. D. perobscure proponi solet, ita maxime dignum est, ut seorsim & perspicue pertractetur.) Nec opus est, ut moremur sine idonea ratione dissentientes. u. EVERHARDVS *loc. 31. n. 5.* cui multi alii tam ab ipso quam a MENOCHIO *praesumt. 106. n. 11. seq.* laudati aduersantur. addatur *Const. 39. part. II.* & CARPZOV. *def. 8.* (II) Sed de censuariis colonis nobilium, uel eorum omnium, qui feuda possident, quaestio quoque oborta est, quali in censiticis bonis dominio fruantur? De qua lite sic statuendum esse arbitror. Si dominus, beneficium una cum censibus iam constitutis uasallo dedit, quia penes ipsum fuit potestas dandi domini pleni, in dubio iterum pro censu proprio praesumptio militat. Quando autem uasallus nouiter censum inducit, hoc quidem ipsi ob prohibitam rei feudalis alienationem *II. F. 9. 52. 55.* regulariter non licet, & si id facere ausit, non diutius, quam ius uasalli durat, census nouus subsistet, quia ius dantis ulterius non porrigitur. *l. 54. de R. I.* (quemadmodum ex sententia iureconsultorum etiam emphyteutae censum constituere licet, usque dum ad dominum directum praedium emphyteuticum reuertatur, uid. LYNCKER *Analect. ad Desselii Erot. I. Can. L. III. Tit. 18. qu. 7. p. 127.*) ast ubi moribus memorata iuris Lango bardici sanctio sublata est, saltem quoad alienationem particularem, & solent domini directi & principes census constitutionem uasallis permittere (quod hodie passim fieri FRANTZK. *de laudem. c. 10. n. 66.* testatur) tum etiam directum dominium accepisse uidetur censuarius. conf. STRVVII *Synr. I. F. c. 2. §. 10. p. 71.* Atque ex his

his

his sponte manat, non posse sine discrimine omnia, quae uasallis subsunt bona censitica pro talibus, quorum censuarius tantum utilis dominus sit, reputari, in quam sententiam ZIEGLERVS *diff. cit. §. 19.* inclinat. (III) Denique si censuarius loco annuae pensionis seruitia inprimis determinata praestet, haec naturam census non immutant. Quotidie enim accidit, ut pro pecunia, fructus aliaque aequipollens utilitas, ei, qui talem petendi ius habet, pensetur. Et uicissim saepenumero inter dominos & ruricolos conuenit, ut hi loco seruitiorum recipiant in se annum censum, pecunia numerata exsoluendum. u. FRANZKII *Variar. resol. Lib. I. resol. 5. n. 51.*

XXXIII

Haec illa sunt, quae, ut datam in inscriptione fidem liberarem, de *bonorum censualium origine & natura* commentari libuit. Pateret mihi iam latissimus disceptationum campus, si tum singulares multumque inter se dissidentes Ictorum ueterum & recentiorum opiniones excutere, tum discrimen census ab aliis iuribus cognatis, & nonnulla alia, quae huc spectant, capita, data opera uellem perlustrare; uerum cum tanta sit illius materiae amplitudo, ut intra angustos dissertationis limites omnis capi nequeat, finem imponam scriptioni & reliquorum tractationem alii temporis seruabo.

NOBILISSIMO IUVENI

DN. IACOB AEO

IO. FR. WEIDLER

Quam in iuris scientia difficultatem uerborum
ambiguitas pariat, tum innumeris aliis exem-
plis constat, tum inprimis censualis pensatio-
nis contemplatio docere potest. Quod caput
iuris patrii amplissimum & multis tenebris oblitum,
dum uberiore commentario TIBI illustrandum sumis,
haud obscuram indolis ad eximiam laudem erectae
documentum edis. Illius enim electione iudicii aciem,
& in peruestigatione solertiam demonstras. Quemad-
modum autem hunc conatum TVVM procul dubio ap-
probabunt omnes, quotquot argumenti, quod tracta-
sti, conditionem perspectam habent, ita ego sigillatim
laetor, quod ea ratione occasionem nactus fuerim, non-
nullis adminiculis meditationem TVAM, instruendi, &
quo in TE animo sim, publice testificandi. Idemque
eo lubentius facio, quo plura & luculentiora uirtutis
TVAE specimina ex eo tempore collegi, quo primum
meas inhabitare aedes coepisti. Quod superest, pre-
cor Deum immortalem, ut bene coepta studia TVA
ope sua optima & maxima continuo prouehat, & ad
optatam metam clementissime perducatur. Vale.


AUTOXEDIASI. Vitembergae. III. Non. Aprileis.

A. C. cIa l^o CC XXX.

7. 540.







WITTENBERG, Diss, 1730

47



sb.

W 17





Q. D. B. V.

1730

43

31

16

DE
ORIGINE ET NATVRA
BONORVM
CENSITICORVM
EX
IVRE GERMANICO

PRAESIDE

IO. FRIDERICO WEIDLER

I. V. D. ET MATHES. P. P.

IN AVDITORIO ICTORVM

DISPVTABIT

CAROLVS HENRICVS IACOBAEER

I. V. St.

A. C. c13 15 CC XXX. VI. IDVS APRIL.

VITEMBERGAE
TYPIS GERDESIANIS.